

per quæ proscripta fuit hæresis Pelagiana, dinumerans, sic effatur: *Quod scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ urbis Episcopum de Concilio provincia Carthaginiensis, & de Concilio Numidia* (istud est Milevitanum a nobis supra expositum) & *aliquando diligentius a quinque Episcopis, & quæ ipse ad tria rescriptis. Item quod Pape Zosimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad totius Orbis Episcopos uniuersum missum. Et quod posteriori Concilio plenario totius Africa contra ipsam errorem breviter constitutum.* Quibus verbis Augustinus quatuor indicat Africana circa errores Pelagii & Cælestii Concilia, duo nimirum sub Innocentio Papa, Milevitanum & Carthaginense, ambo provincialia; duoque alia totidem sub Innocentii successore Zosimo, primum Africanum in provincia Zeugitana, cujus erat Metropolis Carthago, quæ provincia peculiari nuncupatione perque antonomasiam dici solebat Africana & Proconsularis: atque istud provinciale Concilium celebratum est anno 417. Alterum deinde plenissimum ducentorum decem & septem Antistitum, quod eodem desinente anno coactum Carthagine fuit, & insequente anno prorogatum, desinitque ad initium Pontificatus Bonifacii, qui demortuo Zosimo Romanæ Ecclesiæ gubernacula suscepit. Hujus Concilii præfatio post dinumeratas Africanarum Ecclesiarum singulas provincias, confedisse refert ducentos decem & septem Episcopos. Tandemque desinit hoc idem Concilium per epistolam, quam direxit ad Bonifacium, directam per manus trium Legatorum, qui Romam ab hoc Concilio remissi sunt, unde profecti erant cum Zosimi Pape communitorio: hujus epistolæ inscriptio perhibet scriptam fuisse a ducentis septem & decem Episcopis, qui præsentibus se adfuisse testantur in Concilio Africæ: finit quoque eadem epistola his verbis: *Subscripserunt quoque Alypius, Augustinus, Possidius, Marinus, & ceteri Episcopi CCXXVII. 217.* Respondent Africani Patres ad quatuor capita communitorii ad se per Zosimum Papam directi. Ad primum quidem, de admittendis Episcoporum ad Romanam sedem provocantium appellationibus: & ad secundum, de admittendis Presbyterorum & inferiorum clericorum a proprii Episcopi judicio ad finitimos Episcopos provocantium appellationibus: quæ utraque Concilii Nycæni decreto Rabilita jam fuisse Zosimus suo mandato assererat; respondent se neque in canonibus Latinitis, neque in Græcis exemplaribus, quæ rogati Atticus Constantinopolitanus & Cyrillus Alexandrinus transmiserant, reperisse, rogantque nisi plenior facta perquisitione constet, hoc ipsum a Nicænis Patribus fuisse decretum, nec Africanas Ecclesias velit ad hanc observantiam adigere. Ad capitulum de Apiario Presbytero, a quo calumniatore fuerat Zosimus adversus ejus Episcopum Urbanum concitatus, respondent, Apiarium ipsum, postquam ex urbe Roma rediit, respuisse, palamque confessum suam injustam adversus Urbanum proprium suum & Siccensium Episcopum proterviam, veniam delicti rogasse, concessumque ipsi a plenioris Synodo fuisse, ut dummodo in Siccensium Episcopatum nunquam deinceps accederet, posset alibi ubivis Sacerdotium ex beneplacito Episcoporum, ad quos diverteret, exercere, eique ad hoc formatas litteras fuisse a Concilio indultas. Denique quod petebat Zosimus, ne Africani Præsules indicta causâ ad Comitatum importuni navigarent, jam esse Concilii sollicitudine provium. Incertum proterus est, quid ad ista Bonifacius Papa responderit.

2. Itam vero Concilium Augustinus posterius dicit, non tam rescripti a Zosimo contra duos hæresiarchas editi, quam respectu Synodi provincialis Africanæ. Ceterum quinque illi Episcopi, quos memorat dicto loco Augustinus, isti sunt, Aurelius Carthaginensis, Augustinus Hipponensis, Alypius Tagastensis, Possidius Calamensis, & Exodius Uzalenis Episcopi. Quorum extat communis ad Innocentium Papam inter Augustinianas epistola 95. sic incipiens: *De Concilio duobus provincia Carthaginiensis atque Numidia.* Cui subjungitur tanto Pontifice digna responsio incipiens: *Fraternitatis vestra lineas.*

3. Circumfertur post quinquennium a direpto isto de quo agimus Africano simul & Carthaginensi plenario Concilio, in quo directæ est ad Bonifacium Papam per Legatos Apostolicæ sedis Synodica epistola, respondens ad Zosimi Pape communitorium. Circumfertur inquam alterum titulo simul Africanum Carthaginense Concilium uniuersale, cui litteræ ad Papam Cælestinum falso commento attribuntur de causâ Apiarii Presbyteri Afri, qui falsis delationibus Zosimum Papam adversus Urbanum Episcopum suum adeo concitaverat, ut mandat Concilio Africano, ut Urbanum vel sede Episcopali deiceret, vel communione fidelium, ob crimina quæ adversus illum Apiarius Presbyter intentaverat. Nonne illa criminatio, publica posteriore confes-

sione ipsius Apiarii coram Concilio plenario abunde diluta, urgente & torquente conscientia Presbyteri feccerati, qui inter propria alia crimina se falsis criminibus Urbanum Romæ infamasse profitebatur causam illam calumniosam ipsaque testificatione Pontificiorum Legatorum, qui confessioni huic interfuerant, sufficiebat abunde, ad eliminandam, quam Presbyter ipse fatebatur, calumniam. Quid ergo necesse erat post internum quinquennium eandem in judicium refumi? Et si fides nulla habita Romæ fuerat testificationi uniuersalis Concilii de re visa & audita scribentis, una cum asseveratione revertentium ex Africa Romanorum Legatorum; quid opus erat altera testificatione alterius post quinquennium Concilii? Ea certe epistola suam apud omnes, qui ratione judicioque utuntur, prodit suppositiōnem, simulque Concilii, cui assignatur, fictionem, cujus aliud nullum ullibi refat indicium, aut sæculi illius testimonium. Canonum vero Africanorum collectio non huic commentitio aut certe obscuro & incerto, quod in tempora Cælestini Pape intruditur, ascribenda est; sed illi Concilio Africano simul & Carthaginensi, & uniuersali, quod tempore Zosimi Pontificis inchoatum, in initium desit Pontificatus Bonifacii, quo Romani Legati dimissi, & Synodica Concilii decreta & responsionem ad Zosimi jam demortui Pontificis communitorium Romanum retulerunt. In hoc enim confederunt Augustinus Hipponensis hujusmodi canonum collectio nis cupidissimus sollicitator, ut in ejus vita prodit Possidius, qui eadem in Synodo confedit Calamensis Episcopus, Alypius Tagastensis, aliique fideissimi Augustini affectæ & discipuli.

4. Admodum probabile est moleste tulisse Pontificem Zosimum prohibitionem appellationum transmarinarum, quam paulo ante Milevitanæ Synodus promulgauerat, cujus can. 22. ita decernit: *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores clerici, in causis quas habuerint si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quidquid est, finiant, adhibiti ab eis, ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint: non provocent nisi ad Africanæ Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarinam autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africanam in communionem suscipiatur.* Causa cur Zosimus pro Sardicensi canone Nicænum allegaverit Concilium, hæc est; quia tametsi duo ista Concilia fuerint generalia, parique auctoritatis; Nicænum tamen & notius erat, & major erat erga istud populorum veneratio, tum alias ob causas, tum quia primum de Ariana impietate triumphaverat. Deinde quia in collectione canonum, quibus Romana utebatur Ecclesia, permixti erant canones Nicæni & Sardicensis sub eadem Nicæni Concilii inscriptione: quod manifeste apparet in Justellianis & Quesselianis Nicænorum canonum editionibus. At vero Sardicensi Concilio, in quo hæc ipsa, quæ Zosimus a Patribus Africanis de Episcoporum quorumcumque ad Romanam sedem appellandi jure exposcit observari, diserte sancita leguntur in Synodo Sardicensi, quæ tamen Africanis Patribus plane ignota erant, atque ita ejus canon VII. quo hæc sanciebantur. Ipsemet Augustinus, in cujus sententiam uniuersum iverat Carthaginense Concilium, se protestando hæc de appellacionibus servaturos interea, donec missis in Orientem Legationibus sibi constaret, quid ea de re Nicæni Patres decreverint, non enim in Latinis, quæ ad manus habebant, exemplaribus quidquam ea de re sollicite conquisitum reperisse; ipse, inquam, Augustinus, qui ceteris ita respondendi auctor fuerat, scribit lib. 3. contra Cresconium cap. 34. se nullum agnoscere Sardicensi Concilio aliud quam hereticorum Ariano- rum. Enimvero ut superius ad Sardicensi Concilium observatum fuit, Ariani se a legitimo Sardicensi Concilio sponte subdlexerant, ut venenosos canones liberius conflarent, quod deinde Sardicensis Synodi ementio nomine venditarunt; inique cum Donatistis, qui eodem in Conciliabulo confederant, societate, suum per eos conventiculum tota Africa promulgarunt, legitimanque Sardicæ Synodum occultari ac suppressi curaverunt. Itaque mentio Sardicensis canonis & Osi, quæ nunc legitur in can. 6. Concilii hujus Carthaginensis sexti, nihil aliud est quam supposititia lacinia neoterici alicujus, aut quæ fortassis ex margine indebite inserta fuit. Nemo pius negabit majori polleere auctoritate Synodum Sardicensem, utpote generalem, quam particulares Africanas, quæcumque illæ sunt.

AN PROSPER ET HILARIUS,

Auctores epistolarum ad S. Augustinum fuerint Episcopi Diatriba?

1. Multorum animis inceserat opinio de Prospero & Hilario, quorum litteris fuerat Augustinus admonitus, plerosque Gallicanos ejus de prædeterminatione absoluta & ineluctabili, deque præventis gratiæ necessitate iudicium probare quasi adversas humanæ libertati, & animis desperationem ingerens: duos quidem istos admonitores Episcopali dignitate præfulisse, fuisseque Hilarium Antistitem Arelatensem, Prosperum vero Regiensem. Sed qui sic existimant, procul ipsi a vero aberrant. Enim vero Prosper ipse in sua ad Augustinum epistola, ipsum admonet de Hilario Arelaten- si Episcopo, hunc esse præcipuum inter Gallicanos ad- versantes utrique illius doctrinæ, tum de absoluta præ- destinatione, tum de gratia ad quæcumque bona præve- niente, eaque necessaria ad singulos actus. At vero Hilarius, ille cujus est ad Augustinum epistola, additissi- mum esse huic Augustinianæ doctrinæ, istiusque Semipe- lagianis adversantem probant hæc ejus ad eundem verba: *Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scri- bere, quasi de iis, quæ nunc edidisti, dubitem. Sufficiat mihi pena mea, quod a presentia tua deliciis exulatus, ubi salubribus verberibus tuis nutritus, non solum absen- tia tua crucior, verum etiam pernicacia quorundam, qui non tantum manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Ceterum hæc suspicione in tantum careo, ut potius infirmitatem meam, quæ tales impatienter sero, probabilem putem.* Inde constat, quantum erret anony- mus auctor præfationis duarum epistolarum Prosperi at- que Hilarii, dum hunc ipsum prodit existisse Hilarium Arelatensem, quem tamen Prosper asserit Augustini do- ctrinæ admodum adversari.

2. Quin etiam ipse Augustinus neminem horum Epi- scopatum gerere palam indicat, dum initio libri de præ- destinatione sanctorum, ambos ita compellat: *Filii charis- simi Prosper & Hilari.* Quos, si fuissent Episcopi, Fratres, Coepiscopos, Consecratos, & quod plerum- que solet, etiam Dominos suos compellasset. Dumque ibidem addit, *quod nolint ab aliis errari:* satis declarat hunc Hilarium monitorem suum longe diversum esse ab adversante sibi Hilario Arelaten- si. Veruntamen hunc ipsum Arelatensem Ecclesiæ Antistitem a Semipelagianorum errore postmodum respuisse constat ex iis, quæ coævas ejus vitæ scriptor referunt professum illum fuisse sub vitæ finem his verbis: *Ad celestem beatitudinem celesti gratia procedente, & industria subsequente perveni.*

3. De Prospero autem inconsulte a quibusdam in ca- talogo Regiensium in secunda Narbonensi Provincia Episcoporum, interferitur mediis inter Maximum & Faustum: qui convincitur error isto Sidonii Apollinaris testimonio, in suo illo carmine eucharistico ad ipsum Faustum conscripto:

----- fuerit quis Maximus ille
Urbem tu cujus monachusque, Antistes & Abbas,
Bis successor agis.

Cum enim Sanctus Honoratus Lirinenis Asceterii Fun- dator & Abas ad Arelatensem Ecclesiæ Insulas vocatus esset, reliquit in Monasterio sui successorem Abbatem Maximum, qui postmodum ad Episcopatum Regiensem accitus, reliquit sibi in eo Monasterio Abbatem sui suc- cessorem Faustum. Cumque Maximum felici obitu a sede Regiensis migrasset in cælum, subleclus eadem in Episco- patu fuit Faustus, qui proinde bis successor Maximi ce- lebratur.

Quinetiam alterum suppetit luculentum ipsiusmet Fau- sti testimonium: quo etiam utitur singulari qua pollet peripicacia vir clarissimus Forojulienis Ecclesiæ Cano- nicus & eximium decus Josephus Antelmus. Inter ho- milias Eusebii Emiseni nomine inscriptas, quas nonnulli Cæsario, alii Eucherio adscribunt, una est, quæ non alium quam Faustum auctorem habet, qui cum præces- sori suo Maximo recens defuncto, ejusque in sedem ele- ctus iusta perfolveret, Hilarii Arelatenis novi Episcopi in præcessoris defuncti sancti Honorati dignitatem suf- fecti laudabili imitatione, sui quoque in Regiensis sede præcessoris Maximi laudes oratione funebri prosequutus fuit. Sic enim Faustus defuncto Maximo in ipsa Regien- si Ecclesiæ parentavit, ejusque laudes funebri oratione complexus est. In hac oratione in primis ille se Mona- sterii Lirinenis fuisse profecturum ascetam sub regimine Maximi, postque recentem ejus obitum fuisse in ejusdem sedem assumptum. Sequæ testem commemorat inquisitio-

nis, qua Forojulienis Ecclesiæ Maximum post sui Epi- scopi Theodori decessum expetierat successorem. Sed cum honorificam ea de re legationem Maximum præfensisset, se ita multos dies abdidisse, ut Legatis spem omnem præsentis suæ ademerit, proindeque alterius electioni prospectum sit. Veruntamen non ei perinde facile fuisse Regiensis Ecclesiæ post septennium suo Pontifice vidua- tæ electionem evadere, quo demum sanctissime perfun- cto Episcopatu, se tandem Faustus in ejus Cathedram assumptum vel dolet, vel dolere se dissimulat. Hisque utitur verbis: *Merito se vobis impuler beatissima illa In- sula ex hoc uno atque unico munere (scilicet Maximi) licet multum erubescat ex altero, (scilicet Fausto in lo- cum Maximi subrogato.)* Hunc vero funebrem fermo- nem in ipsa Regiensis Ecclesiæ pronunciatum fuisse, per- spicuum faciunt hæc ejusdem verba: *Non post multum temporis, ut meminisset, sancto orbatâ Pastore populi præ- sentis Ecclesiæ piam supplex mandat filius legationem.*

Itaque nullus in Episcoporum Regiensium serie relin- quitur locus vacuus, in quo possit Prosper iste Aquita- nicus Augustinianæ doctrinæ constantissimus assertor col- locari. Maximum enim anno 426. hujus Ecclesiæ regi- men capessivit, postquam septennio post assumptionem Honorati ad Arelatensem Ecclesiam Monasterii Lirinen- sis Abbatem secundus ab Honorato exercuit. Idemque Maximum perfunctus Episcopatu Regiensis Faustum habuit (ut evidenter commonstratum est) successorem immédia- tum. Ipse vero Faustus plurimos annos Regiensem rexit Ecclesiam, & re ipsa regebat, quo tempore Basilius Aque- nensis Episcopus legatione pro Ecclesiæ Narbonensis provin- ciæ apud Visigothorum Regem Evaricum Catholicis in- sensum fungebatur. Quod inde liquido constat, quia Sidonius Apollinaris lib. 7. Epist. 6. ad eundem Basilius legationem illam obeuntem commemorat inter viventes Ecclesiarum provincialium Præsules ipsummet Regiensem Faustum. At vero Gregorius Turonensis lib. 2. histor. cap. 24. in fin. meminit hujus a Sidonio transmissæ ad Basilius Epistolæ; cujus temporis respectu, hæc ipsa de Evarico subjungit: *Non multo post ultione divina percussus interit.* Solide autem probat Baronius Evaricis mor- tem anno Christi 484. accidisse. Quæ ex observatione convincitur ad minus esse prorogandum Fausti Episco- patum, qui fortasse alios etiam insequentes complexus est annos.

Ipse quidem Baronius sola quadam recenti Regien- sium traditione subnixus (cui veteres cuncti refragan- tur) auctor est Prosperum Regiensis Ecclesiæ præfuisse annos minimum viginti quatuor, ejusque decessum anno Christiano 466. adscribit, post quem tradit Maximum Regiensis Ecclesiæ clavum suscepisse. Sed hic Anachro- nismus coarguitur inde, quia anno 426. certum est ces- so Arelateni Episcopo improbo Patroclo, sanctum Ho- noratum ex Monasterio Lirinenis accersitum Arelatensem Ecclesiæ regimen suscepisse, relicto in Lirineni Mona- sterio Abbate successore Maximo: qui deinde anno suæ hujus Lirinenis præfecturæ septimo, ut sitem facit paulo ante relatus Faustus, in Regiensem promotus est Epi- scopatum, proindeque anno 433. Nequivit ergo tunc Prosper esse. Atque ita corrumpit quæcumque conditor Annalium, eumque sequutus Bellarminus in Scriptori- bus Ecclesiasticis asseruere de Prosperi Episcopatu Re- giensis. Itam quoque rationem his adjuget, scilicet in Concilio Regiensis, quod fuit anno Chr. 439. & in Arau- sico primo anni 442. nullum subscribere Prosperum: subscribunt vero Theodorus Forojulienis, qui de Ab- bate Fausto querelam intentavit, deinde Maximum Re- giensis. Similiter post obitum Hilarii Arelatenis scri- psere quidem Episcopi Provinciales in gratiam Raven- nis, qui proximus Hilario defuncto successerat, ad Leo- nem Romæ Pontificem, a quo pariter responsum acce- pere. In omnibus illis epistolis sit mentio Maximi Epi- scopi, nulla vero Prosperi. Luce igitur meridiana cla- rius liquet, istdem temporibus, quæ Baronius Prosperi apud Regienses pontificio adscribit, nullatenus Prospe- rum, sed Maximum illo potitum fuisse Episcopatu.

4. His accedit, nec ipsum Prosperum existisse unquam Episcopum, immo etiam nec ulli Ordini sacro initia- tum, sed mere laicum fuisse. Constat quidem ex ipsius ad uxorem carmine, cujus etiam Beda meminit, fuisse saltem aliquando matrimonio alligatum. De cetero ejus nemo veterum non aliter quam ut laici cujusdam cla- rissimi mentionem habet. In primis Augustinus lib. de prædeterminatione sanctorum, ut dixi, non Fratres suos, sed Dominos Prosperum simul & Hilarium vocat, sed ut mere laicos, *filios charissimos.* Prospero isti agnomi- nato Aquitanico coetaneus, ejusque popularis Victorius Aquitanicus, in sua ad Hilarium Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum epistola Scriptores Chronicorum commemo- rat Eusebium, quem dicit Cæsarem apud Palæstinam Episcopum; deinde Hieronymum, quem titulo Presby- tery cohonestat; tertioque loco Prosperum, quem neque